

*Instrumentum assignationis di Petrone  
de Bono Iohanne, mastrogiurato  
della città di Potenza, a favore dei  
procuratori del clero di San Michele.*

Basilicata University Press

—

*Digital Humanities*

Edizioni e data-bases digitali  
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

*Instrumentum assignationis di Petrone  
de Bono Iohanne, mastrogiurato  
della città di Potenza, a favore dei  
procuratori del clero di San Michele.*

1402 marzo 12

† In nomine domini nostri Iesu Cristi, amen. Anno a  
nativitate ipsius millesimo quatringentesimo secundo,  
regnante serenissimo domino domino nostro Ladizlao,  
Dei gratia Hungarie, Ierusalem, Sicilie, Hungarie,  
Croatie, Rame, Servie, Galitie, Lodomerie, Comanie  
Bulgarieque rege, Provincie, Forcalquerii ac Pedimontis  
comite, regnorum vero eius anno quintodecimo, feliciter,  
amen, die duodecimo mensis marcii, decime indictionis,  
apud civitatem Potencie.

Nos Raynaldus de Stampis de Potencia eiusdem civitatis  
annalis iudex, Thomasius Strambus puplicus ubilibet  
per provincias Principatus citra et ultra Serras Montorii,  
Capitinate et Basilicate regia auctoritate notarius et  
testes subscripti ad hoc specialiter vocati et rogati  
presenti scripto puplico fatemur atque testamur quod  
constitutus in nostri presencia vir probus magister  
Petronus de Bono Iohanne, magister iuratus civitatis  
Potencie, ostendidit nobis et puplice legi fecit quasdam  
licteras seu mandatum magnifici viri Iohannis Filangeri,  
reginalis iusticiarii terrarum provincie Basilicate, dicto  
magistro iurato directas, noto et consueto sigillo  
ipsius iusticiarii in cera rubea sigillatas, quas nos  
ipsi vidimus, legimus et diligenter inspeximus, omni  
vicio et suspicione carentes, sed in prima sui figura  
existentes, quarum tenor per omnia talis est:.... Qui  
quidem magister iuratus, ut asseruit, facta diligenter  
inquisitione de bonis dicti Roberti, coram nobis  
provisum sibi fuit pro maiori expedicione ipsorum  
presbiterorum pro parte ecclesie memorate ex defectu  
aliorum bonorum non repertorum, predictam domum  
ipsis presbiteris assignare. Et propterea magister iuratus  
ipse ad execucionem dicti mandati sic licteratorie

sibi facti per eundem dominum iusticiarium cum omni reverentia et prontitudine, statim die duodecimo mensis marcii, decime indictionis, nos requisierat actente nostrum predictorum iudicis et notarii super hoc officium implorando ut in executione dicti mandati sibi, ut supra facti, per eundem dominum iusticiarium quam facere intendebat, prout sibi comictitur et mandatur ut una cum eo accedere deberemus personaliter predictae executioni de ponendo ipsis presbiteris pro parte dicte ecclesie in possessione dicte domus, interesse deberemus et exinde facere et conficere publicum instrumentum ad ipsius magistri iurati cautelam et dicte reginalis curie certitudinem, nos vero predicti iudex, notarius et testes subscripti ipsius magistri iurati requisitioni devote petentes, prout ex officio tenebamur, et quia iusta petentibus non est denegandus assensus, eo maxime quia ipsis presbiteris pro parte ecclesie iuste negocium tangeret, una cum predicto magistro iurato personaliter associantes ipsum contulimus ad dictam domum sitam intus civitatem Potencie in parrochia ecclesie Sancti Michaelis, confinatam ab uno latere iuxta planicias seu plathile ecclesie ecclesie Sancti Michaelis, iuxta menia civitatis, iuxta domum Nicolai Pandelli et alios fines, nobisque predictis iudice, notario et testibus astantibus ibidem et coram nobis et in nostri presencia predictam domum ipse magister iuratus vigore dicti mandati licteratorie sibi facti dictis dompno Antonio de Venusio et dompno Leone, procuratoribus dicte ecclesie Sancti Michaelis, ut dixerunt, nomine et pro parte dicte ecclesie, per corporalem possessionem assignavit, prout in dictis licteris seu mandato continetur et declaratur, presentibus ipsis presbiteris et procuratoribus ibidem et tam pro se ipsis quam nomine et pro

parte dicte ecclesie Sancti Michaelis, predictam domum recipientibus et apprehendentibus. Promictens predictus magister Petronus magister iuratus pro se et nomine et pro parte reginalis curie eisdem procuratoribus, nomine et pro parte dictorum clericorum et ecclesie memorate, in possessione dicte domus defendere, actorizare, disbrigare et manutenere et nuncquama contrafacere vel venire per se vel alios omni dolo et fraude cessantibus in premissis, nos predicti iudex, notarius et testes ad certitudinem pleniorum ad requisitionem et preces dicti magistri iurati et dictorum presbiterorum procuratorum, ut supra, et dicte ecclesie et subcessorum ipsius cautelam et predicte curie certitudinem predicta omnia et singula qualiter in nostri presencia gesta et acta sunt in presens publicum reduximus instrumentum omni debita sollempnitate vallatum, mei predicti notarii propria manu scriptum et signatum subsignacione nostrum predictorum iudicis et testium subscriptorum roboratum.

1

Quod scripsi ego predictus Thomasius publicus, ut supra, notarius, qui premissis omnibus rogatus et vocatus interfui ipsumque meo consueto signo signavi. Superius autem in duodecima linea ubi legitur «nobis» interliniatum est et emendatum per me predictum notarium non vicio sed errore scribendi, unde pro autentico habeatur. Quod scripsi ego ut supra. SN Thomasius † Ego Raynaldus de Stampis qui supra iudex. † Ego notarius Nicolaus Cortesius predictis omnibus interfui et me subscripsi. † Ego subdiaconus Antonellus de Caranchia testis sum. † Ego Bartholomeus de Oppido te<stis> sum. † Signum crucis proprie manus Trincanelli Doc. precedente.

testis ydiote qui interfuit et scribere nescientis. † Signum  
crucis proprie manus Salerni testis ydiote qui interfuit et  
scribere nescientis.